Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1703

Quelle:
Copyright:

floſculis ornate contextis liuidum dentem imprimis. ac roſigerum ſertum candidulis lilijs connexum venenata lingua carpis. invidia quidem te ut proprium ſuum caligini ignorancie inuoluet. me autem beniuolentia per lumen ſcientie ad gloriam et honorem perducet. Liceat dubitare, galeatum hunc Prologum ab ipſo profectum eſſe *Honorio;* interim tamen adjicere placuit. Operis initium: *Mundus dicitur quaſi undique motus* &c. Sub finem, ubi Edita legunt: *Rodicker Abbas claret*, Codex habet *Hodker*. Quid ſi ſcribendum *Notker*, *Notgerus*, quem etiam L. IV. *de Scriptt. Eccl.* c. 9. *Honorius* perperam *S. Galli Abbatem* fecit? Siſtunt Edita in *Friderico* I. Imp. Codex vero ſuperaddit: *Heinricus filius eius IX. annis regnauit*, et continuo adtexit *Seriem pontificum Romanorum* a D. *Petro*, et quidem a prima manu usque ad *Martinum* IV. cui manus recentior adjecit: *anno Domini M°. CC°. LXXXI. ſedit annis tribus*, et mox Seriem perduxit usque ad *Gregorium* XII. electum exeunte a. 1406. In Editis *citt.* reperitur haec Series poſt *Librum IV. de Philoſophia Mundi* p. 1026. ubi non ultra *Innocentium* II. electum a. 1130. procedit. Non igitur, ut fit, etiam *Honorio* Continuatores defuere.

IV. *fol.* 131. *Incipit liber de miſeria humane conditionis editus a lothario diacono qui poſtea Innocentius papa III. appellatus eſt.* Exemplar elegans, vetuſtum, ad ipſius Autoris, qui a. 1216. obiit, tempora accedens Libelli pii a me ſaepius relati, qui init: *Domino patri kariſſimo N. portuen. epiſcopo lotharius indignus dyaconus* &c.

V. *fol.* 164. *Sermones* II. eadem manu exarati. Prior *De Animabus*, videlicet in Commemoratione Fidelium Defunctorum, incipit ita: *Licet fideles communicent in ordine ſuo, modo ſuo, ſed in hodiernis omnes ſimiliter conueſcuntur et communiter uocantur* &c. Alter *De Paſcha domini* ita: *Surgens ihesus mane prima ſabbati* &c. *Decies dominus ihesus apparuiſſe legitur* &c.

VI. *fol.* 169. p. 2. *Incipiunt exempla de beata virgine.* Sunt numero XIII. piae credulitatis argumenta praecipue de Cantu: *Salve Regina.* Initium eſt: *Ad honorem partus beatiſſime virginis que non ſolum peperit ſine dolore* &c.

VII. *fol.* 175. *Incipit genealogia biblie magiſtri* (Petri) *pictauienſis.* Iſtud a ſecunda manu; Textus vero ipſe minutus quidem, ſed ut vix quidquam nitidius videre poſſis. Eandem laudem merentur Schemata orbiculata, quibus diſtinguitur, Figurae item miniatae primorum Parentum, Arcae *Noae*, Manſionum et Caſtrorum Populi *Iſrael*, et urbis *Jeruſalem.* Egi de hoc memoriae Adjumento *Vol.* I. P. I. *col.* 432. Quid complectatur, ex his Prooemii verbis liquet: *Ab adam inchoans per patriarchas judices reges et prophetas et ſacerdotes eis contemporaneos usque ad chriſtum finem noſtrum ordinem perduxi.* In Exemplo